VNDECIMA MVSCVLORVM TABVLA.

VNDECIMAE MVSCVLORVM TABVLAE CHARACTERVM INDEX.

A,A SINISTER primi caput mouentium paris musculus.

B,B Secundum par musculorũ caput mouentium, in sinistro tantùm latere characteribus insignitum.

* Musculus hic obscurè occurrit, cuius beneficio inferiorem maxillam deorsum agimus.

C Musculus scapulam mouentium tertius.

D Clauicula.

E Pendet hic musculus, à scapula ossi υ referenti insertus.

F Humanum thoracem mouentium tertius.

G Brachium mouentium quintus.

Γ Musculus scapulæ gibbum sub illius spina occupans, ac brachium mouentium sextus, cuius initiũ

H,I. ab H ad I metitur, insertionis uerò sedes K indicatur, atq; ita totus trianguli modo H, I,

K. K circunscribitur.

L Musculus ab humiliori scapulæ costa initium ducens, brachiumq; mouentium tertius.

M Hic musculus brachium mouentium secundus, ab exortu liberatus, antrorsum tota parte reflectitur, quam proximè præcedens tabula, O, N & P circunscribebant. Atq; ita interna musculi sedes, qua humeri articulo incumbit, in conspectum uenit, & trianguli uertex etiam quodammodo proponitur, ad cuius similitudinem huius musculi initium describebant. N enim eã musculi pars est, quæ basi scapulæ fuit proxima, O autem illa, cuius initiũ à summi humeri cum clauicula articulo pẽdet. Dein si D eam musculi partẽ esse finxeris, cuĩ clauicula initium largitur, promptè assequêris musculi suo exortu liberi principiũ insigniter obtusum angulũ referre, uti figura modò inserta comprobat, qua interna musculi sedes exprimitur, articulo maximè contermina. Atq; hic A, B, C musculi indicant principiũ, ab A quidem & B principij portionem à summo humero, & scapulæ spina pronatam, à B uerò ad C reliquã principij partẽ, quæ clauiculæ debetur. Postremò D musculi insertionis sedes insignitur. Quod autem ad trianguli obtusum attinet uerticem, nulli non obuium est B humilius poni, quàm A & C, quibus characteribus triangulum terminari promptè animaduertis.

P Dictus nuper musculus ab omnibus, unde principiũ ducit, sedibus liberatus, ac ab insertione duntaxat in dextro brachio pendens, pulchrè ostendit hanc transuersim in humerum fieri.

Q Humanum thoracem mouentium quartus.

R Musculus dorsum mouentium undecimus.

S Dorsum mouentium decimusquintus, seu octaui dorsum mouentium paris alter.

T,T, V Characteribus T, T duas costas earum, quæ iam sectionis serie deteguntur, insigniuimus,

V uerò earundem costarũ interuallũ, ut intercostalium hic musculorũ exterior obseruaretur.

X Musculus thoracem mouentium secundus.

Δ Humanum thoracem mouentium quintus.

a,b Obscurum impensèq; membraneum musculi obliquè ascendentis abdominis initium, à spinarum apicibus inter a ac b pronatum.

c Musculus ab insertione hic dependet, brachium mouentium quartus.

Θ Musculus cubitum extendens, cuius initium d insignitũ, à ceruice capitis humeri educitur, quod

d,e. scapulæ articulatur. e autem sedem indicat, qua præsens musculus ab altero cubitum extendentium, mox f indicando, non amplius distingui nequit.

f Cubitum extendentium musculus, ab humiliori scapulæ costa pronatus, ac cum musculo Θ insignito coiens.

g Musculus cubitum flectentium posterior.

b,b Longior musculus radium in supinum ducentium.

Λ Musculus bicorni tendine brachiale extendens, cuius initium i insignitur. sedes uerò, qua ten-

i,k,l. dinem educit, k, tendinum autem ipsius insertio, l.

m Musculus radium in supinum ducentium breuior.

n Radius.

o Vlna.